

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4864

Auteur(s) : Rouen (official)

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1251, février

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume Hodenguel et Odeline, sa femme, reconnaissent la vente qu'ils ont faite aux religieux de Bonport de 12 sous de rente à Rouen.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CLXXXVIII, p. 192-193.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris, officialis Rothomagensis, salutem in Domino.

Noveritis quod constituti in jure coram nobis Willelmus Hodenguel et Odelina, uxor ejus, de parrochia Sancti Machuti Rothomagensis tunc temporis, recognoverunt se vendidisse et omnino reliquisse viris religiosis abbati et conventui Boni Portus, pro sex libris et quinque solidis turonensium, de quibus tenuerunt se coram nobis pro pagatis, renunciantes exceptioni pecunie non numerate, duodecim solidos annui redditus usualis monete quos dicebant se habere annuatim, medietatem videlicet in Pascha, et medietatem in festo Sancti Michaelis, in quodam tenemento sito, ut dicitur, in eadem parrochia, in Mala Palude, inter terram que fuit Andree Clerici, et terram Johannis, filii Radulphi Strabonis, sicut se proportat a vico, per ante, usque ad terram que fuit Maugeri Coci, per retro. Licebit etiam de cetero eisdem, abbati et conventui et eorum successoribus, de dicto reddito facere omnem voluntatem suam integre, sicut de suo proprio, salvo jure dominico, et justiciam suam facere in dicto tenemento, pro prefato reddito annuatim habendo, terminis prenotatis. Juraverunt insuper predicti Willelmus et Odelina, uxor ejus, tactis sacrosanctis ewangeliis, spontanea voluntate, coram nobis, quod in dicto reddito, ratione hereditatis, dotalicii, maritagii, elemosine vel aliqua alia ratione, sibi modo competenti, per se vel per alium, nichil de cetero reclamabunt : nec eciam dictos religiosos et eorum successores super prefato reddito in aliquo foro ecclesiastico vel seculari aliquatenus molestabunt. In cujus rei testimonium, sigillum curie Rothomagensis, ad instanciam partium, salvo jure cujuslibet, presenti scripto duximus apponendum.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, mense februario. Valete.